



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1787**

**VD18 90119649**

§. 21. Ordo Equestris S. Georgii in Bavaria novo favore auctus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

num exhibeat, illudque ad acta relationum caute asservetur &c.

Sæc. XVIII.  
A.C. 1741.

§. XXI.

*Ordo Equestris S. Georgii in Bavaria novo favore auctus.*

Jam supra meminimus, Ordinem Equestrum in honorem immaculatæ Virginis Mariæ sub invocatione S. Georgii Martyris a Carolo Alberto Bavaro Electore fuisse institutum. Hunc quoque Benedictus XIII. anno 1729. die decima octava Martii edito diplomate confirmaverat. Cum vero idem Elector pro sua pietate & avita erga res sacras reverentia sex Nobiles Viros in Ecclesiastica dignitate constitutos in hunc militarem Ordinem cooptare eo sine desideraret, ut ad majorem Dei gloriam, & Ordinis splendorem sacra Officia in dicti Ordinis Templo peragenda quam maxima potest majestate ac decore peragantur, hinc datis ad Papam literis rogabat, ut ad hanc rem Apostolicum quoque beneplacitum ac confirmatio accederet. Igitur æquissimis hisce precibus lubentissime annuens Pontifex, die sexta Octobris ad Electoris votum concessit, approbavitque, ut nominetur I. quidam *Episcopali* dignitate insignitus, qui ab omni Ordinarii Episcopi jurisdictione

ex-



Sæc. XVIII.  
A. C. 1741.

exemptus, in dicta Ecclesia Pontificia-  
lia munia obeat. II. Eligatur alius cum  
nomine *Præpositi* Pontificalium usu no-  
bilitatus, qui Episcopi vices eo absente  
vel legitime impedito expleat: ambo  
autem ad dignitatem cum decore suffi-  
nendam ab Electore ad Præposituras va-  
cantes nominentur. III. Eligantur duo  
Ecclesiastici, qui *Decanorum* nomine ho-  
norentur, quorum erit Divinis Officiis  
sive Horis Canonicis, præsentibus in  
Ecclesia Equitibus interesse. His Col-  
legiales Præbendæ conferantur, duas  
que habeant adjunctos *Eleemosynarios*,  
qui Decanorum officia, ipsis vel abien-  
tibus vel impeditis suppleant, iisque,  
quibus alii Milites Equestres donantur,  
commendis, pensionibus & beneficiis  
augeantur, ita tamen, ut Episcopus  
ac Præpositus magnam cum stella, De-  
cani mediam, & Eleemosynarii parvam  
Ordinis Crucem e collo in vitta serica cræ-  
rulei coloris pendentem gestare tenean-  
tur. Hæc omnia Pontifex ad Serenissi-  
mi Electoris præscriptum Apostolica  
auctoritate approbavit.

§. XXII.

*Ordo Equestris a Carolo Neapoli  
Rege institutus a Papa pluribus  
privilegiis ditatus.*

*Vid. supra  
p. 71.*

Anno hujus sæculi trigesimo octavo